IN GRATIARUM ACTIONEM FRANCISCI COMITIS RONCALLI PAROLINO...

Francesco Roncalli Parolino

Digitized by Google

1.

IN GRATIARUM ACTIONEM

Francisci Comitis Roncalli Parolino

AUGUSTISSIMO

VENETORUM SENATUI

ob plaudens Decretum circa regulatas medicinalium taxationes

OPUSCULA DUO

NEMPE

NOSOCOMIUM LOCUPLETATUM

ET

EXPERIMENTA

NOVAM METHODUM CURANDI ACUTOS PECTORIS MORBOS COMPROBANTIA

Digitized by Google

Digitized by Google



AUGUSTISSIMO

VENETORUM
SENATUI

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

NEmo, qui ab alio, paris diſpariſve etiam conditionis, homine beneficium aliquod honoremve acceperit, debitas illi grates agere utique omittat; monſtrum enim eſſet hoc facere, eſſet manifeſtum ingrati animi indicium: quapropter is, nedum urbanitatem, at ipſam etiam humanitatem quodammodo exuiſſe videretur. Quid vero, ſi qui beneficium honoremve contulit, longe altioris ordinis ac ſubſellii foret; eques, magnas, nobilis dynaſtes: infimi contra ſtatus, nullius numeri homuncio, miſellus, in quem collata? Quid autem (quam creſcit oratio, Superi!) quid autem, inquam, ſi ſubditus a Principe ſuo, a vitæ neciſque Domino, benefice fuiſſet, atque honorifice exceptus? Is ſane, de quo Majeſtas tanta bene mereri dignata eſſet, plura faceret, plura cogitaret, uno verbo, niſu omni, atque ope debitas pro viribus grates ſolvere conaretur. Has primum omnium perquam demiſſo animo ageret, rei magnitudine perculſus, verbis ageret, reverentiarum, atque obſequiorum plenis. Deinde flexis eveſtigio genibus Deum Optimum Maximum enixiſſime rogaret, prò perpete non ſolum Sereniſſimi ſui Principis incolumitate, verum etiam nova ut in dies incrementa, novi in eundem magnitudinum, atque felicitatum cumuli accederent. Ita profecto ſe gereret homo ſubditus, inexpectata Imperantis ſui dignatione perſtrictus.

Subditus ille ego ſum, Auguſtiſſimi Viri, quodque ipſum, ſi homo, non fera, eſſet,

procul

procul dubio facturum innui, feci jam, facioque, nec unquam, dum ſpiritus hos artus
reget, facere deſiſtam. Non tamen hoc ſatis, ſententia mea. Ultra enitendum, ſi datur
ultra progredi. Explico me, veniam quæſo date. Si mea, quæ Vobis haud pridem ſum
offerre auſus, non benigne ſolum, ſed etiam publice (quid glorioſius mihi, quid honori-
ficentius poterat contingere?) non dedignati eſtis excipere, atque approbare, publice fas
eſt, meum & ego gratum animum oſtendam, Veſtræque benignitati propius, quoad licet
meæ tenuitati, reſpondeam. At quonam monumento Imperantis Majeſtatis digno? inquie-
tis. Accipite, Senatores Præſtantiſſimi.

Nihil in univerſo orbe utilius, nihil Regnantibus itidem acceptius, quam ſi pauperum
inopiæ, ac ſubditorum ſaluti conſulatur. Utrumque hoc blandior mihi poſſe me Veſtris in
ditionibus efficere. Duo nempe id, ſequentia Opuſcula præſtabunt, ante Auguſtiſſimum
Sapientiæ Cœtum ſe humillime ſiſtentia. In altero quorum, viam urgens, quam Vos,
Senatores Præclariſſimi, regulatam Medicinalium Taxationem, cum tanta mea gloria pu-
blice bis approbando, patefeciſtis, Noſocomia pauperum ſublevare, immo locupletare ag-
greſſus ſum; multa de medio tollens inveterata præjudicia; regulas ſubdens, rationes ad
compendia, normam denique, poſt propoſitum jam antea ſpecimen, nunc temporis com-
mendatione magis adprobatam, & adauctam exarans utiliſſimam, emolumenti ſane;
quam vulgarem, & uſitatam majoris, ac undequaque ſaluberrimam: celebriorum Italiæ
Gymnaſiorum menti conſonam, quibus in pretio, ac ſolemnis hodie eſt medendi ratio
preſſa, innocens, parca, delicata, circumſpecta, debitaque ſimul, fortaſſe ſalubriori
prædita, & pollens efficacia. In altero Methodum, a me jam inventam, Veſtroque Illu-
ſtriſſimo, atque Excellentiſſimo Salutis Magiſtratui dicatam, novis ſubinde curis, monumen-
tiſque fulcire pergo; experimenta, & remedia in medium afferens, quæ feliciſſime ceſſerunt:
Methodum, inquam, curandi morbos pulmonarios, qui extremis hiſce temporibus graſſantes,
cum magna Veſtrorum ſubditorum ſtrage vicinas regiones etiam infeſtatas reddiderunt.

Si ſponte, ſi nulla fatigati prece, meis, Senatores Ampliſſimi, laboribus favere dignati
eſtis, eandem nunc humanitatem, & clementiam fore, ut experiar, non diffido; quem
ſtudii erga Vos, atque obſervantiæ plenum, pedes ante Veſtros genuflexum, duo Vobis
cernitis, quæ novit, quæ poteſt, veluti munuſcula offerre, fructum atque utilitatem ha-
ud mediocrem Venetis Provinciis, niſi fallor, paritura. Porro certum habete Veſtrum fa-
vorem, ac præſidium ſtimuli inſtar fore mihi, & incitamento ad majora tentanda, quate-
nus ſcilicet cum valetudinis incommoda, tum ætas jam provecta patiantur.

Utinam Opus Medicum Practicum maximum, neceſſarium tandem aliquando cogitetur,
Adriaco adamuſſim aptatum climati, in claſſes rite diviſum ſuas (quid enim literariæ libi-
dines, nugarumque farragines proſint?) quod artem, erroribus ſcatentem, expurgaret,
vagam nimis alicubi, exlegemque coerceret; quod recentium doctrinarum polline vete-
rem, noxiumque ſæpe furfurem expelleret; Opus, in quod ſpectando, ſingulorum præ-
ſto eſſent morborum germana, regionique conſona remedia. Opus denique, quod prætio-
ſiſſimam Dominorum vitam, ac fideliſſimorum ſubditorum etiam, tutiorem redderet.
Quanta utilitatum ſeges hinc exſurgeret, vel ad ipſas medicinæ ſubordinatas artes regulan-
das, quantum boni, ſi, petito etiam ab Sacri Collegii Veneti Archiatro, & Profeſſore
primario Patavino in id auxilio, & lumine, Veſtris auſpiciis annuentibus, ac patrocinan-
tibus rei manus admoveretur? Me beatum, ſi Clementiſſimi Principis, ſubjectorumque
ipſi populorum ſaluti, ac felicitati, extremos uſque ad ſpiritus allaborare comperirer.

Brixiæ XVI Octobris MDCCLXI.

Digitized by Google

PROPOSITIONES CENTUM

I.

UT Noſocomii utilitates, & divitiæ promoveantur, Matheſis, legeſque mechanicæ conſulendæ primum ſunt: & inſtituendæ perticæ longiores, aut plures, quæ in torcularibus cochleam magis urgeant; columna interdum, ſi opus eſt, nervoſe circumacta, auxiliante, quandò exprimendi ſucci, qui plurimum valent.

II.

Piſtilli vero, quatenus in mortariis triturationes faciendæ ſint, præſertim in principio, eſſe debent in infima extremitate aſperi, cuſpidibus denticulati, & inæquales.

III.

Quorum ſucceſſive motum poſſet promovere aqua deſcendens, aut fluens; vel rota propulſa a lacertoſo viro: etiam ubi molendum ſit. Quod melius reddit objecta ſubtiliſſima.

IV.

Res pretioſæ, ſi fieri poteſt, exhibendæ in ſubſtantia, non in infuſo: ſic medietas, cum ſummo Pii Loci lucro, ſufficit: quo caſu ſolida, non in pulverem ſolum, ſed pollinem redigenda.

V.

Pilulæ antiquæ duriores vitandæ: Quia tranſeunt ſæpeſæpius immutatæ: Hinc nulla actio, aut ſolutio.

VI.

Plura ſimplicia pro decoctionibus, non craſſo modo incidenda ſolum, ſed contundenda, imminuenda; ut meſſis abundet.

VII.

Animadvertendo, iiſdem præmittendam infuſionem ad horas aliquot, aut plures: quoniam minus aromatum conſumitur.

VIII.

A Veronenſibus regionibus adventus tophi promovendus, pro fornaculis faciendis. Lapis enim eſt, qui facillime ignis calorem ſuſcipit, communicat, ſervat.

IX.

Exinde vigilandum quam maxime circa ignis modulationem: num lignis (cujus generis) num carbonibus exequendam: Pariterque in diſtillationibus, aut alembicorum, & balneorum ſelectu. Quæ diligentiæ, vix dicere poſſum, quantum utilitatis ſint allaturæ.

X.

Exulet mos, ſyrupis, pulveribus, apozematibus tota die Ægrotum implendi. Quid agant, neſcimus. Fortaſſe nocent.

XI.

In obſtructionibus viſcerum naturalium, poſt univerſalia, tentetur opus externis etiam, abdomini applicitis: nimirum (præmiſſis fomentationibus cum aqua tetutiana) jalappa, ſcamonea, oleo ceræ deſtillato, ſaponaceis, ſenna orientali (admirabile neque ab ullo, quod ſciam, adhibitum remedium in tumoribus lentis, quos frigidos dicunt) Rotariana pinguedine, oxymellite ſcillitico, felle bovino, cum ſale, & oleo nucum. Hæc omnia, quoniam alvinas fæces commovent, quandoque in adultis, præſertim ſi colocynthis addatur, liquet manifeſte vires ſuas aperitivas, incidentes, deobſtruentes exerere trans viſcerum fibras, trans glandularum latibula, cum ſtaſium omnium reſolutione: ideoque ſanati Ægri, quos immenſa interna remediorum ſtrues, per illas vias non tranſiens, ante quam Hoſpitale ingrederentur, laceſſiverat.

XII.

Lippientes, & quamcumque viſus debilitatem juvabit quam maxime drachma una pulveris euphragiæ, quotidie mane, tribus ante prandium horis, ſumptæ in aqua fœniculi.

XIII.

Num pro curatione iſchiadis folia ranunculi contuſa parti affectæ aptanda ſint, ut, veſicis promotis, & ruptis, virulentus ichor extillet cum juvamine, bona Chirurgica Praxis conſulenda erit: Quoniam ipſe hæc miracula non vidi. Potius ſentirem cum Primario Viennenſi Profeſſore de Haen, adhibendum lac.

XIV.

Veſicantia ex cantharidibus ſemper non conveniunt: hinc ideo aptari poſſent, militari more, oleo bullienti: quod citius veſicam excitat, & minimi valet.

XV.

Chinam chinam, quadraginta annorum praxi, & millenis libris conſultatis, nunquam vidi noxiam. Adhibeatur ſtatim, ſi fieri poteſt: ceteris præmiſſis, aut ſecus.

XVI.

Semperque, ſi morbus permittit, in ſubſtantia, & in pulverem (ſalibus, magiſteriis, tincturis, miſcellis, ut in Gallia nunc uſuvenit, omiſſis) tenuiſſimum (rogo Aromatarios) redacta.

XVII.

Ad exemplum recens plurium Academiarum, ſed Sociorum Regiorum meorum in Univerſitate Montſpellienſi præſertim, ſublimatum corroſivum, pro uſu interno, proſcribere præſtaret.

XVIII.

Dixi, pro uſu interno: quandoquidem pro externo, ſecundum Chirurgiæ dogmata, utiliſſimum erit, pro fiſtularum curatione, carnibus exedendis, aliiſque morbis ſanandis.

XIX.

Remedia, martialia dicta, præcipue pro curandis Mulierum morbis, potius ex ferro, quam chalybe conficere.

XX.

Colicas dolorificas, & convulſivo-ſpaſmodicas, præmiſſis præmittendis, ſolo jure vituli ſuperandas curare interdum.

XXI.

Addere Cotalogo, ſi abeſt, gummi guttam: qua ſola vidi Hydropicum ſanitati reſtitutum; cujuſque grana octo (ſufficiens ad agendum doſis) valent ſolidos duos. Per ſuperiora, & inferiora purgat.

XXII.

Emptio compoſitorum a quibuſdam Drogariis (excipe honeſtos viros, qui & Venetiis & alibi abundant) damnanda eſt. Sunt res interdum fucatæ, adulterinæ, præſertim ſi de ſalibus loquamur, ab uno promptuario receptis, impoſito extra ad arbitrium nomine. Hinc eventus Medicis intentionibus non reſpondet, & Ægri diutius jacent.

XXIII.

Res pyroſi elaboratæ, aut a Drogariis, & Chymicis fide dignis conquirantur, aut ad minorem numerum redigantur: elaborenturque ante oculos Aromatarii magiſtri.

XXIV.

Quoniam res tota ſtat in miſcellis, admonendi Artium juniores, innocentiſſima quædam, ſolitarie frequentiſſime adhibita: ut ammoniacum ſal, mercurius dulcis, antimonium diaphoreticum, ſal nitri, & ſimilia: ſimul copulata, evadere venenum virulentiſſimum. Documenta millies iterum recudenda.

XXV.

In Pharmaceutico promptuario debet exiſtere præſidium

dium magni momenti, & ſummopere neceſſarium. Illa eſt aqua ſtyptica, quæ in vulneratis, ob ſectas ampliores arterias, ſaltitanter proſilientem ſanguinem eveſtigio ſiſtat. Quia vero pulveres adſtringentes non ſufficiunt, nec ſatis pollet Lemeryniana, pro uſu potius interno reſervata, & ſaccharo, atque lotio confecta, quæ aperiunt, & non ſtipant: ideo addo præſcriptionem remedii vere miraculoſi, & ſuper cetera omnia potentioris, *Anchora ſauciatorum*, nuncupati, ut æternum proſtare in Officina poſſit. Tota œconomia non ſtat in demendo, ſed addendo interdum ea, quæ, Ægros ſanando, Noſocomium ſublevant. ℞. Vitrioli Hungarici. Aluminis aā lib. 5. Phlegmatis vitriol. lib. 4. Coq. donec tamdiu omnia fuerint diſſoluta. Liquorem frigefactum filtra, & a cryſtallis ſubinde natis ſepara: adde ſingulæ lib. liquoris ol. vitriol. unc. 1.

XXVI.

Quando caſſia Medici uti debent, poſſet etiam interdum elaborari Medicamen ex fiſtulæ plenæ, totæ, contuſæ unciis duabus, in decoctione, & inſcribi. ℞. Pot. ex caſſia tota: unc. v. Leniter purgat: & augere etiam liceret. Propoſitio unica parſimoniam ſapiens, Magnatibus non applicabilis.

XXVII.

Quinque ſolidis gummi ligni ſancti, in lue venerea, corpus purgatur.

XXVIII.

Circa hanc. Scribunt a Gallicanis regionibus Methodum nunc uſitatam, pro curatione paulatim adminiſtranda: ob rem pro argumento noſtro, & pro ditandis Noſocomiis optimam, atque imitandam; tam ſi mercurio, quam aliis ſpecificis opus ſuſcipiatur. Ita quippe homines lecto non affiguntur, neque ad Hoſpitale confugiunt: ſed domi res ſuas agunt. Etiam in hoc Medici vigilare debebunt.

XXIX.

Simplicitate in medendo natura gaudet, & contenta eſt ſummopere: adeo ut etiam in divitibus utiliter adhibeatur, & adhibenda ſit: imo, ut aſſertum hoc eluceat, & fortaſſe in publici Hoſpitalis utilitatem felici exemplo redundet, duos caſus recentiſſimos referam.

XXX.

Diebus nuper elapſis, per literas a Nobili Viro commendata, ad nos acceſſit villica Mulier, quadraginta annorum, temperamenti calidi, ſicci, optimique ceteroquin habitus, depaſcenti ulcere in internis faucibus laborans: rubicundis etiam, accenſis, tumentibus, aliquatenus corroſis circa laryngem, amygdalaſque glandulas: dixitque per ſeptem menſium curſum plurima remedia incaſſum adhibuiſſe. De lue venerea ipſe ſtatim non ſolum dubito, ſed firmiter ſentio. Præſcribo unciam unam ligni ſancti pulverizati, in cartulis 16. omni mane ſumendis, in aqua, aut jure tenui, citra decantatas purgationes. Poſt 12. ſumptas vices, rediit ad me lætiſſima, ſe ſanam prædicans, neque ab ullo alio remedio tantum beneficium accepiſſe. Laudo repetitum, continuumque uſum. Spatio dierum quadraginta integre ſanata: nullis julapiis adhibitis. Morbum, remediique vim ſanatio comprobavit.

XXXI.

Adoleſcentula altera, pluribus ab hinc annis Gallico morbo laborans, novoque viru in dies contracto, in pejus præceps, bubone, gonorrhæa, doloribus, febre identidem cruciata, ſola ſumpta per dies quadraginta drachma dimidia (etiam integra eſt licita) ligni ſancti feliciter convaluit. Harum quælibet curationum valuit ſolidos quinque. In quibus faciendis (ſecundum antiquas leges) plurimæ expenſæ neceſſariæ fuiſſent.

XXXII.

Dicet aliquis. Si hac frugali, ſed rationali methodo Æger ſanatus non eſt, quid agendum? Poſt dicta, & facta, quæ certe aliquid juvaminis attulerunt, addenda in cartulis, pollinem guajacinum continentibus, duo grana mercurii dulcis, per quindecim, vel viginti dies: addenda drachma ſalſæperillæ in pulverem redactæ; ut & ego facio. Itaque melior convaleſcentia continget, opuſque feliciter, ſemper cum minoribus ſumptibus, perficietur.

XXXIII.

Decocta ipſa alexipharmaca, quæ adeo in uſu ſunt, non ne ligno guajaco, ſi multum bullierit (ut ait Boerhavius) (quem dupliciter activiorem ſalſaperilla ipſe exiſtimo,) radice cannæ montanæ, viſco quercino, & antimonio confecta, morbum feliciter extirpant; quin ſalſaperilla, radixque chinæ, quæ in majori prætio ſunt, addantur: Itaque charitas extendi etiam poſſet ad lue Gallica infectos, qui fortaſſe interdum innocentiſſimi; ſi uxorem habent adulteram.

XXXIV.

Erravi. Poteſt eſſe infecta, & innocens. Nimirum ſi Filium infectum lactavit.

XXXV.

Vegetabilia uſualia proſtent. Et Officinæ Magiſter vigilet in duplici catalogo herbarum illarum, quæ virides, aut ſiccæ adhiberi debeant: & ad ſolem, vel in umbra ſiccari. Poſt annum, vix ultra, tamquam fœnum inutile projiciendæ.

XXXVI.

Pro clyſteribus, duo ſolidi, ſecundum Taxam recens a nobis inſtitutam, ſalis Anglici amari, in aqua, aut jure ſoluti, ſatis ſunt, ſine alio additamento, ſi movendum.

XXXVII.

Fruſtula, ſquamulæ, poſt caſſiam extractam, in ſetaceo ſuperſtites, quæ nihil valent, in decoctione dant clyſterem optimum, ſi pacandum.

XXXVIII.

Clyſteres actu frigidi ab aliquibus laudati, inteſtina ſtomacho aſſimilantibus, nunquam adhibeantur: niſi inſtaret fluxus ſanguinis per anum mortiferus, qui etiam gelu concreta admitteret.

XXXIX.

Illorum uſu, Æger ſuper dexterum latus componatur: ſic quippe facilius tolerantur, & faciliori exonerationi inſerviunt.

XL.

Tabellæ ex ſaccharo, quæ ſæpeſæpius a ſanis, non Ægrotis deglutiuntur, num proſtare debeant.

XLI.

Emplaſtrum Capitale debet certo exiſtere pro improviſis caſibus contuſi, aut vulnerati. Illud meliloti non eſt aptabile, & attento nimio valore, corrigendum.

XLII.

Circa Emplaſtra tamen plurimæ animadverſiones eſſent faciendæ. Emollire, fovere, reſolvere, roborare deberent. Hæc obtinentur rebus, fariniſque vulgaribus, quæ plerumque extant in egenorum etiam domibus: & in apothecis parvo pretio venditantur; quin tota die mulierculæ, Medicorum ſchedulis onuſtæ, ad Pium Locum mittantur. Rem hanc poſſent ipſi Profeſſores docere, admonere.

XLIII.

Imo eadem inter domeſticos parietes inſtituere, ex bovis ſtercore, mille florum nuncupata, hirundinum nido, melle, oryza, polentis, panatellis, ſappa, calce, ſecundum indigentias actuata.

XLIV.

Opiata caute adhibenda. Criſes retardantur. Natura evadit attonita. Hic longior ægrotantium mora.

XLV.

Illaque, non ne a ſeminibus frigidis, papaverinis, lactuca,

Digitized by Google

ca, hyoſciamo, & ſimilibus deſumi ab horto poſſunt ?

XLVI.

Quanti quæſo, me Superi ament, prægrandis lucri ſumma in venerandum Hoſpitale non devolveretur, uſu mercurii in aliquibus pectoris morbis, lymphaticis præſertim, & verminoſis, quibus tam dire in hiſce regionibus libitina furit: ut arguere poſſumus ab illorum frequentia, tantam remediorum ſtruem petente : præſertim ubi ab acuto morbo tranſitus factus fuerit ad hæmophtyſes, lentaſque tabes, ad annum, & ultra perſeverantes.

XLVII.

Tamen infelici ſydere factum eſt, ut illius uſus, peculiari Libello a nobis propoſitus, hactenus non ſatis increbuerit: dixi, ſatis, quia non deſunt exempla, & auctoritates, quæ luculenter Methodo patrocinantur: meque olim trepidantem nunc erigunt, ac prorſus beatum efficiunt. Quarum unam, ſuper omnes maximam, exhibemus, a Sereniſſimo Venetiarum Principe provenientem (Pag. 8.) ſperantes interea fidentiſſime (experimenta, caſuſque mercurio ſanatorum parantur) fortunatam diem illam obventuram, qua hanc etiam utilitatem in Noſocomia, Venetaſque Provincias certo importabimus.

XLVIII.

Ceterum vix dicere poſſum, quantum ipſe etiam laudaverim ſubſtitutionem, ad ſumptuum levamen propoſitam, ſucci ſeminum lini, dulcium ſucco: non minus ob utilitatem, quam ob ægrotantium bonum. Quis enim eſt in factitanda Medicina tam hoſpes, qui neſciat, pluribus in morbis, ſed inteſtinorum præſertim doloribus, pleuritide, colico ſpaſmate, ceteriſque circumpoſitarum partium ataxiis ſuccum ſeminum lini ab Auctoribus præcipui nominis præferri? Penetrat quippe, incidit, attenuat, purgat, reſolvit magis.

XLIX.

Quamobrem non ſolum ob minus diſpendium, ſed ob ſalubriorem in humanis corporibus utilitatem illius uſus promovendus: ſique aliquis objectans vellet adhuc caput erigere, interroget Medicos circomſpectos, practicos; & ſciet, quot damna, quot ſtomaci languores, glandularum proximarum laxitates, pareſes, inertiæ a perenni nimis ſucci amygdalarum dulcium uſu evenerunt.

L.

Tabidi, Phthyſici, & purulenta cum tuſſi expuentes ſtent ſeparati in diverſorio. Ancillent Viri ultra annum quinquageſimum, in ore detinentes cinamomum, aut tabacum fermentatum, vulgo *chorda*, quo nihil in orbe toto pro præſervatione efficacius: occaſione Febrium contagioſarum Medicis ipſis utiliſſimum. Sic quippe excrementa domantur, exeunt, non introeunt.

LI.

De aere puro cogitetur, & inſtituantur effumationes pectoralium, & balſamicorum, in Operibus etiam noſtris propoſitorum, & cito ad pectus, per inſpirationem, euntium, pro ſanis, & ægrotis juvandis.

LII.

Id vellem maneret Medicis alta mente repoſitum, & per varios thoracicorum remediorum gradus frequentatum. Aſſumptorum enim per os ad viſcus ſpiritale longa via eſt, mille ambagibus, atque circuitibus impedita.

LIII.

Aliquo caſu opportunum eſſet alvinas inſpicere fæces, urinaſque. Sine hoc documento morbus interdum noſci non poteſt. Si id facimus in divitibus, cur non in pauperibus? Pares ſunt quoad ortum, vitam, mortem, animam, cœlum.

LIV.

Aurantiatorum, Limoniatorumque non nimius in Hoſpitali uſus. Animadvertant Potatores, num dein ructent, ſapore perſeverante; quo caſu, vitanda. Stomachus debet ſtatim vincere, non vinci.

LV.

Ingurgitatorum nullus poſt horas in palato odor; victoriæ, & ſalubritatis ſignum.

LVI.

Ob hanc cauſam, citrata ipſa ſuſpecta nunc ſunt, quæ olim, ut cordialia, magno in pretio habebantur.

LVII.

Vinum cordiale unicum, ſi arridet: Ad coclearia tantum. Addo in Ægrotis. Ne ebrii iraſcantur.

LVIII.

Non obſtarem, mediis duobus ſcrupulis ſoldanellæ, poſſe purgari ægrotos illos, qui a Mantuano ſolo, aut paludoſis locis provenientes, ad cachexiam, hydropemque tendunt.

LIX.

Pariterque permitterem, poſſe pertentari curationem carcinomatum media cicuta, intus & foris adhibita: de qua ſcripſit doctiſſimus Storch Viennenſis: & in urbe Mantua Celeberrimus Primarius Profeſſor de Haen, dum Regiam Sereniſſimam Archiduciſſam Auſtriæ, Archiatri munere inſignitus, proſequebatur, mihi oretenus locutus eſt, quaſi adprobans, & laudans; cum aſſenſu Immortalis VVanſvvieten, amici per literas noſtri. Niſi duo caſus recentes funeſti, unus relatus; alter a me viſus facerent, ut aſſenſum ſuſtineam.

LX.

Mulieres hyſtericæ interdum purgandæ, unciis tribus matricariæ ſucci: qui ſucceſſive movet & menſtrua.

LXI.

In Inflammationibus, tumoribus, æriſipelaceis etiam, præſertim hæmorrhoidum aptari poſſet emplaſtrum foliis lactucæ: ut apud Magnates Lutetiæ Pariſiorum uſuvenit.

LXII.

A qua urbe Monarchica, dum anno nuper elapſo, magnum Alexicacon expectabatur, pro curatione pedis, ob ductas choreas, circa externum malleolum tumefacti, in Excellentiſſima Matrona Comitiſſa Eleonora Collalto, ſupremi Prætoris, Pro-Præfecti noſtri Equitis Petri Andreæ Capello uxore, advenit, poſtis ſollicitis, conſultatio, ut aptaretur piſcis contuſus, ſalitus, fumo, aut ſole conditus. Nos *renga* dicimus. En quomodo etiam in perſonis principibus res minimi pretii adhibeantur.

LXIII.

Sulphur accenſum naribus apoplectici, aut ſyderati admotum, non ne illum expergefactum reddit plus quam cetera, aut ſalia, aut ſpiritus a chymico promptuario mutuata? Inſuperque ſi a pectore morbus provenit, ut ſpecificum, quammaxime juvans?

LXIV.

Neque vellem Pauperes mihi iraſcerentur, fortaſſe cogitantes, has noſtras in medendo leges, a fœnerantis, nimiumque œconomicæ utilitatis in Noſocomium deſiderio proficiſci: ac ſi ego, perperam agens, faciendam Medicinam ipſis nimis ſtricte conſulerem. Candide ſiquidem, cœlo teſte, proteſtor, res has, ſi ægrotarem, in me ipſo peragi ſinerem.

LXV.

Nonne duobus Sennæ orientalis ſcrupulis, pul. qui æquivalent ſolidis duobus, corpus purgatur ſufficientenus, ſine ullo periculo?

LXVI.

Nonne ſenna id habet peculiare, ut in ſacculo poſita, atque deinde aere libero exſiccata, pluries eademmet adhiberi poſſit, iterum, iterumque purget. Et fortaſſe in ſecunda, tertia infuſione, ſi ſine expreſſione ſuavius, ſpiculis amiſſis, minoribuſque doloribus productis?

LXVII.

Egregius Antonius Bonelli Medicus clari nominis in urbe Brixia mihi refert, demandaſſe Ægrotis ſuis frequen-

Digitized by Google

quentiſſimum ſennæ orientalis uſum , cum ejuſdem infuſione ſecunda in ſero lactis diſtillato . Feliciſſimo exitu ſubſequente : etiam in Ægris Nobilibus .

LXVIII.

Herus , & ſervus lue gallica laborabant . Sumptis decoctis : primus qui prima generoſus adhibuit , adhuc ægrotat : ſecundus inops , qui , ob charitatem , ſecunda , integre ſanatus . Id mihi , dum ſcribo , refert Medicus egregius .

LXIX.

Hæc ſolemnia ſunt de multis ſimplicibus : deque Hipecacuannha præſertim ; quinquies , ſexies adhibita , ideoque , abſque torminibus , delicatulos purgante .

LXX.

Si brodiorum primum pejus & ſpumoſum ; ſi aqua calcis , & plurima purgantia in ſecundo apparatu optimiora ſunt : Si calix ex antimonio centies adhiberi poteſt ; nemo non videt quantæ utilitates ex repetitis , & ſecundariis uſibus aliquorum remediorum redundare in Noſocomia poſſint .

LXXI.

Dixi aliquorum : quia ſi Mechoacannam ebullire facies , oleum , & operam perdes . Facultatibus pedetentim evaneſcentibus .

LXXII.

Ceterum ſupradicta cogitata , & facta , adeo menti meæ inſident : ut in reſtauris ipſis , vaſe clauſo ; puta ex teſtudinibus , viperis , pullo , vitulo , ranis &c. cenſerem primæ ebullitionis decoctum , licet aliquid ſpiritus , oleique contineat , attamen ob contentas fæces eſſe rejiciendum ; aut ſaltem deſpumandum . Dubie loquor. Chymici ſapientiores conſulantur .

LXXIII.

In Febribus , quando , natura docente , inclinante , ſudores promovendi : feliciſſimam præſtant operam milii decoctiones : Sancti Ambroſii dictæ .

LXXIV.

Vomitoria adhibeantur nonniſi urgente neceſſitate . Nimis violenter interdum agunt : Natura abhorret : & cum illa ego ipſe . Ruptura venarum poteſt contingere : ſufficerent eſula major , nicotianæ pulvis . Semen ſtaphiſagriæ . Ad g. 12.

LXXV.

Sique nimis agerent : in convulſionem actis propinquis partibus ; jus cancrorum fluvialium optimum erit vomituritionum ſedativum , aut diſtillatum , organo vitreo , ex illis contuſis , ſine ullo aquæ additamento .

LXXVI.

Pro curatione Hydropis , aſcitis præſertim , ab elaterio , a trociſcis alhandal , a ſucco ireos , oxymelite ſcillitico , & radice jalappæ diſcedendum non eſt ; imo quandoque ad paracenteſim deveniendum : quam in Noſocomio Viennenſi feliciter frequenter executam Celeberrimus Haen deprædicat .

LXXVII.

In Aſthmaticis , ſola ruthæ murariæ , aut perſicariæ decoctio , vel bellidis ſuccus feliciſſimam operam præſtabit.

LXXVIII.

Morbis acutis incipientibus , quæſo pretioſum primum agendi tempus non amittatur : poſt quod occaſio calva . Vena ſecetur pluries , & infarcientes humores , ante quartam , expellantur .

LXXIX.

Illud præcipuum ſit ante oculos circa malignam Febrim , quod nobis ſcribit Regens Facultatis Medicæ Pariſienſis Lallemant de Pierre Fontaine : proſtatque in Europæ Supplemento , pag. 464. Nimirum malignam non eſſe , quæ in *Ægri precordiis* deſævit , pluribus ſymptomatibus emergentibus ; ſed illam , quæ *doloſo cineri ſuppoſita* , blandius inſidioſa , *tacite ſerpit* : & Medicos , Ægroſque deludit . Vigilandum ideo quammaxime per ſignorum diagnoſticorum gradus , mutatis viſitationum horis , & media etiam nocte Ægrotos inviſendo : quandoquidem hac diligentia (nunquam ſatis ; agitur de corio humano) morbi magis cognoſcuntur , & congrua remedia aptantur .

LXXX.

Poſſet inſuper , & quaſi deberet in lubricis caſibus valetudinarii Præfectus , aut Philiater aliquis adſtans , diſcendæ Medicinæ percupidus , thermometro carnibus aptato , aut præ manibus Ægroti retento , ut Auſtriæ in Noſocomiis quotidie uſuvenit , temperamenti calorem , & febris acutæ , aut imminutæ æſtum explorare : itidemque , circa ſexageſimam horæ partem , uno ſcilicet minuto , num pulſuum ictus vibrationem ſeptuageſimam (in qua circiter ſalus) exſuperent ; aut numero pauciores ſint , reſpirationes vero decimamquartam : num adpoſita frequens cucurbitula , alicujus malignitatis in cute ſigna appareant : num retenta aliquid doceant , num linguæ , non apex , ut erranter fit , ſed radix ſicca , & obſcuris ſtriis variegata ſit : num in Ægro , non ſupino tantum , ſed in latera etiam compoſito , obſtructiones , & impedimenta ſanguinis circuitui lateant : num urina ſine ſale ſit , mortis prænuncia : ut proinde ſuperveniente , pro viſitatione facienda , Supremo Pii Loci Archiatro , cuncta ſtatim referantur : qui omnimode edoctus , & animo percurſata tota quanta eſt Medicina , dictis & factis ad examen revocatis , præſcribat quæ facienda ſint .

LXXXI.

Nec abnuerem , licere imitari hodiernum uſum Gallicanæ Gentis ; repetita in febribus exhibitione Borraginis ſucci : utpote præcipuo refrigerante , magnoque dulcificante .

LXXXII.

En dives factum Hoſpitale . En centeni novi pauperes beneficiis obſtricti , in quos illius divitiæ tranſibunt : non ſolum ob minores expenſas : ſed quia Medici poſſunt conſulere ægrotis , ut proprio ære remedia emant per urbem , ſi valoris perparvi .

LXXXIII.

Hoc ordine a nobis in rebus aliquibus raptim tacto , ac veluti pro ſpecimine indicatis promovendæ maximæ utilitatis (Non ſecus ac illa ſtupenda , Brixiæ a nobis promota , Regulatio ſcilicet Medicinalium Taxæ , quæ mox Auguſtiſſimo Veneto Senatu jubente (Pag. 8.) ad univerſas Provincias fortunatiſſimo , prorſuſque inaudito exemplo eſt tranſitura) fontibus , quanta quæſo non coruſcant in confuſiſſimo millenorum remediorum chaos , detrahendi , regulandi , proſcribendi lumina ? Nam video adhuc in pharmaceutico apparatu cum expenſis immenſis aſſervata remedia plura , quæ Redius , Baglivus , Malpighius , Sydenhamius , Valliſnerius præceptor meus , Macoppe , ceterique Artis Medicæ Coriphæi toto tempore vitæ ſuæ nunquam adhibuerunt .

LXXXIV.

Cur ea repaſtinamus , cur in dies facimus , cur narthecia improvide , & damnoſe cumulamus ?

LXXXV.

Ut argumentorum ſummam unico inſuper capitulo perſtringamus , fingamus animo demandatum ordinem egregio Hoſpitalis Aromatario , ut ſtatim ante Superiores expungat , projiciat ſimplicia , compoſitaque illa omnia , quæ , utpote nunc non nimis uſitata , præſcriptum a legibus pharmaceuticis ſanæ durationis tempus exceſſerunt . Deus bone ! Quinam dolor ? Quæ quantitas ? ſi ſola ea ſcrutemur , ubi ſal volatilis , qui cito evaneſcit .

LXXXVI.

Addite , etiam ante ſtatutum , cognitumque tempus for-

Digitized by Google

fortaſſe, quamvis optime elaborata, corrumpi, intuſque muceſcere: aere, calore, loco, temporum viciſſitudinibus, & fermenteſcibili genio conſpirantibus.

LXXXVII.

(Præcipua, ſi bene rem aſſequor, Officinarum, & honeſtiſſimorum Aromatariorum ruina: ob quam merentur, ut Taxæ cum juſtis, licitiſque ſuis utilitatibus concedantur.)

LXXXVIII.

Addite, inquam, multa compoſitorum vitia, putrefactiones, aceſcentias interdum non noſci, non innoteſcere (corruptio optimi peſſima), nobis innocentiſſimis itaque, inſcientibus, venenum exhibitum. Quiſnam rationem reddet de occiſione Deo, & Hominibus? Medici contremiſcant. Pharmacia, non erubeſcamus, Medicinæ pars.

LXXXIX.

Addite: Medicamina plerumque adhiberi in malis lentis chronicis; in quibus conſulto, & apte, de die in dies parari poſſunt: ideoque ſi actu primo in promptuariis abſunt, mundus non cadit (ut cadebat dum numero XXV. ipſe de aqua ſtyptica differebam). Et in hoc caſu ſententiam ferrem, contra adagium. Nimirum melius eſſe deficere, quam abundare: quamque promum condum rerum marceſcentium in pictis, auratiſque vaſis detinere.

XC.

Illud non mittendum: res omnes compoſitas, purgantia præcipue, eundo, vires actionum ſuarum amittere. Tempus primæ præparationis ignotum. Ergo non poteſt Medicus æqua lance præſcribere. Quid reſpondetis?

XCI.

Denique jam tandem, in tanto rerum prætioſiſſimarum conſumptu, poſt, per totam orationem, deſcriptas aquarum guttulas, ad Mare piſculentiſſimum properantes, ex quo plurima bona, & promiſſæ in hujus Operis titulo locupletationes depromenda ſunt: dicimus, ſolam Reformationem rerum medicinalium unicam eſſe viam ad expenſas omnes multum imminuendas.

XCII.

Primo: Plura demendo. Secundo: Aliqua, diſpendioſa nimis, obſoleta, & inutilia corrigendo. Tertio: Nonnulla innocentiora, nunc uſitata ſubſtituendo.

XCIII.

Quæ omnia, ubi ſtatim ſtatuta fuerint, exequi tamen, non abrupte, ſed paulatim poſſent: ad menſes, ad annos: ita ut triennii tempore res eſſent regulatæ, atque compoſitæ. Quo longo intervallo ſuapte natura, & uſu plurima capita finient, & cadent. Succeſſive ſolum abſtinendo ab illis præparandis, quæ ſuſpecta, aut non duratura, aut a Medicis ſapientioribus in poſterum, noſtro conſilio animatis, proſcribenda. Hinc ita ne minimum quidem damnum Officinæ impendebit: quia nihil projiciendum eſt. Pro exemplo. Nos a catalogo medicamentorum Brixiani Noſocomii expungenda, ſcilicet paulatim non innovanda, interim proponebamus, ceratum Æſipati Philagrii, ſmaragdum præparatum, lignum Aloes odoratæ, pulv. cordiales temperatos, diathurbith cum rhabarbaro, ſyrupum agrimoniæ, ſyrupum Byzanthinum cum aceto, & ſine, ſyrupum Borraginis, trociſcos Capparum, vio. ſine ſcamonea, unguentum corticum caſtanearum &c.

XCIV.

Phenomenon vix intelligibile illud eſt. Quomodo nos, conſcientiæ remorſibus moti, publicoque bono inhiantes, debeamus in res has invehere. Quod ſecus Aromatarius ipſe Noſocomii, ob tot ſimplicia, & compoſita, magno officinæ damno, peſſum in dies euntia, deberet collacrymans petere a Superioribus ſuis, & inſtare deſperabundus, ut ſiſtema utilius innovetur.

XCV.

Tempora mutantur. Leges, mores, ſtudia ipſa ſua incrementa, periodos, & viciſſitudines paſſa ſunt. Exemplum ſuper omnia maximum, ſit Decretum recentiſſimum, juſſu Illuſtriſſimorum, atque Excellentiſſimorum Patavini Archilicei Reformatorum emanatum, quo pluribus Cathedris abolitis, aliæ utiliores ad ſæculi genium inſtructæ ſunt. Quis igitur adeo ignaviter ſentiret, ut poſt tot in optimis diſciplinis novas detectiones, poſt tot anatomica pericula, poſt quaſi derelicta Chymicorum tentamina, uno verbo, poſt toto cœlo immutatum medendi ordinem, adhuc parari debeant remedia illa diſpendioſiſſima, quæ cum Officinæ damno corrumpuntur, & in uſum non cadunt? Reſipiſcamus tandem aliquando: & Regulationem, ut maximum æternumque bonum cogitemus.

XCVI.

Illa peracta: quod felix fauſtumque ſit. Nullæ aquæ turbidæ, aut ſpiritus inſipidi facti, nullæ vappæ, nulli pulveres rancidi, nulla unguenta, atque olea puteſcentia, nullæ ſedimentariæ depoſitiones, quæ totum contaminent, & neceſſarias poſtulent extravaſationes, nulla pilularum ſiccitas, & urgentibus ſyriis ardoribus aduſtio, nulla conſervarum nidoroſa aciditas, nihil denique putruoſum, quod officinæ damno peſſum eat: ſed omnia illibata, lucida, fragrantia, ſuaviter odorifera, incorrupta, puraque puta, diutius integerrime duratura.

XCVII.

Hæc profecto omnia, quæ fruſtra hactenus optata ſunt, feliciter, Deum Optimum Maximum veneror, facient, ut augeantur Officinæ divitiæ, & ſplendor internus; ut aboleantur præjudicatæ opiniones, de remediis ſuſpectis, aut non tutis; ut aromata fere omnia, non larvata, cognoſcantur; utque genuinæ rerum quarumlibet facies, & vires in propatulo poſitæ, Artemque pharmaceuticam ditantes, nobilitantes prodant certiſſima efficiendæ ſalubritatis teſtimonia.

XCVIII.

Summum denique bonum, ab unico Deo proveniens, illud erit: ſi hæc noſtra, non moroſe, atque invide, veluti calumniis petita, ſpernantur; ſed candide, atque amice ſuſcepta in cribro collocentur: ut hinc, excuſſis excrementitiis furfuraceis, ut Florentinæ Academiæ utar vocabulo, purgamentis, in ſummitate flos, polliſque ſimilagineus emineat.

IC.

Abſit, ut præſumam omnia propoſita acceptari debere oculis clauſis. Scripſi, ut corrigar: contentiſſimus, ſi inter plurima documenta, & centena Capitula unum, vel alterum proſit Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ ſubditis, ſed præſertim pauperibus juvamento ſit, & Sapientiores excitentur ad veritatem conquirendam.

C.

Imo, prelo medio, amavi, ut, qualiscumque, nunc innovata, & adaucta apud exteras etiam gentes, & Noſocomia univerſa pateſcerent: Hine alternante critologia, & admonitionum viciſſitudine, veritas, propoſitæ, atque a me promiſſæ utilitates in examen vocarentur.

TER-

TERMINAZIONE
DAL SERENISSIMO
VENETO PRINCIPE
Per ordine dell' Illuſtriſſimo ed Eccellentiſſimo
MAGISTRATO ALLA SANITA'
In ſolenne modo traſmeſſa
AL SIGNOR CONTE FRANCESCO RONCALLI PAROLINO
Agli 8. *Maggio* 1761.

UN nuovo ſaggio del ben diſtinto talento, e delle ſtudioſe fatiche del Conte Franceſco Roncalli Parolino Profeſſore benemerito di Medicina in Breſcia, è il Libro ultimamente da lui prodotto alle ſtampe, ed a queſto Magiſtrato alla Sanità dedicato. Utile per ogni riguardo è il primo articolo, che tratta della riforma delle Tariffe dei Medicinali, che fatto paſſare ſotto il criterio del Collegio dei Medici Fiſici di queſta Città, riſcoſſe una ben giuſta e piena approvazione. Egualmente utili non ſolo, ma fornite ancora di ſoda e vera dottrina ſono le altre Materie che coſtituiſcono il Libro ſteſſo.

Per dare all' Autore un riſcontro dell' aggradimento, con cui fu accolta l' Opera ſua, da cui traluce un fondo di erudizione e dottrina, hanno ordinato GL' ILLUSTRISSIMI ED ECCELLENTISSIMI SIGNORI SOPRAPROVVEDITORI E PROVVEDITORI ALLA SANITA', *che ſia eſteſo l' Atto preſente, per eſſer ſpedito all'* ECCELLENTISSIMO PUBBLICO RAPPRESENTANTE DI BRESCIA, *con ordine di renderlo noto al benemerito Profeſſore Conte Roncalli, delle di cui ſtudioſe fatiche reſterà una memoria aſſai onorata nelli Regiſtri di queſto Magiſtrato alla Sanità, che così ec.*

(TOMMASO MICHIEL SOPRAPROVVEDITOR.
(POLO RENIER SOPRAPROVVEDITOR.
(BORTOLO GRASSI PROVVEDITOR.
(ALESSANDRO A. TIEPOLO PROVVEDITOR.
(GAETANO MINOTTO PROVVEDITOR.

Tratta dall' Autentica eſiſtente in Filza del Magiſtrato Eccellentiſſimo alla Sanità di Venezia:

Angelo Zon Secretario.
Mario Giacomazzi Av. Fiſcale.

1761. 23. *Luglio*
IN PREGADI

DAlle oſſervazioni e rifleſſi che il MAGISTRATO ALLA SANITA' *ha col zelo, ed eſperienza ſua preſtati ſopra la Tariffa de' Medicinali data alla luce dal Conte Franceſco Roncalli Breſciano deriva a queſto Conſiglio il lodevole ſuggerimento ſuo di ridurre ad un prezzo ſtabile, e fiſſo la Tariffa sì nella Dominante, che nelle Provincie, come quello che per l' incoſtanza, e varietà de' dibattimenti, che in preſente praticaſi da' Speziali, ha in ſe oggetti di vantaggio, e di carità verſo il popolo. Approvandone perciò il* SENATO *la maſſima ſu così plauſibili principj appoggiata, reputa conferente d' incaricare li Magiſtrati della G. V. e Giuſtizieri Vecchj, cui è peculiare la materia, d' impiegare le loro applicazioni, e ſtudj alla regolazione della corrente Tariffa de' Medicinali con quei differenti riguardi, che con la propria virtù troveranno convenirſi alle circoſtanze della Città, e delle Provincie, con ridurla ad un prezzo fiſſo, e ſtabile da eſſer inalterabilmente oſſervato. Trovata che l' averanno, l' aſſoggetteranno all' autorità di queſto Conſiglio per le ſucceſſive pubbliche deliberazioni.*

E del preſente, e Scrittura inſerta ſia data Copia alli Magiſtrati della G. V. e Giuſtizieri Vecchj.

Tratta dall' Autentica eſiſtente al Magiſtrato Eccellentiſſimo della Sanità.

Angelo Zon Secretario.

Digitized by Google

EXPERIMENTA

PRoductam jampridem pro curatione acutorum pectoris Morborum Methodum nonnullos criminari intelleximus ; eo quia deeſſent experimenta , quæ novo in medendo ordini patrocinarentur , & exequentes in poſterum Profeſſores in probabiliori tuto collocarent .

Licet , ſolo caſu , aut ratione Medicina inceperit : ſique omnes experimenta ab aliis expectaſſent , ut præſentes moroſi in nos faciunt , Medicina non exiſteret : tamen in hoc ultro victas dans manus , non diffiteor poſtremo tempore vigilaſſe , ut in Ægrotis noſtræ fidei concreditis pericula facerem , propoſitioneſque exaratas ulterius pro virili ad actum revocarem .

Verum enimvero , cum non cæco ritu in omni pulmonario affectu res pertentanda ſit , ſed ſignanter in illis caſibus tantum , ut jam adnotavi , in quibus , antiqua Methodo non juvante , vel ſanguis viſcidus , ſebaceus , vel lymphaticæ catarrhales amurcæ , inflammationem producentes , in pulmonum lobis impactæ ſunt , ita, cum nulla ex illis occaſio ſe ſe mihi obtulerit , qua periculum facerem , ne meo muneri deeſſem , & ceteros Sapientiſſimos Profeſſores adivi oretenus , & exteros , quomodo in uſu habeo , epiſtolis ſollicitavi , ut tanto argumento velificarentur vigiliis ſuis , meque de nuper ortis cogitationibus , ſed præſertim de contrario , aut felici eventu , protinus ſinceriſſime admonerent .

Quid itaque dictum , quid factum , hic retexere , nullis fucis , nullis rationibus ſuperadditis , opportunum duxi , ut unuſquiſque videat , num tutis fundamentis mea meditamina inniterentur : certoque certius conſtet quomodo ad tantam Gentium univerſarum utilitatem in Epidemicis etiam , & periculoſis caſibus via ſternenda ſit .

Patricius Brixianus R. Achilles Sala , inclyti Benedictinorum Ordinis Monachus , hyeme elapſa pleuritico Morbo periculoſe conflictatus , die quinta in pejus ruens , Sapientiſſimis Medicinæ Profeſſoribus accitis , adductus fuit , ut æthiopem mineralem ſumeret : quiſque ſcit , ab argento vivo , & communi ſulphure præparatum . Mirum dictu . Tribus aſſumptis ad dies aliquot doſibus , morboſa pectoris quieverunt ſymptomata , Ægerque Nobilis priſtinæ ſanitati , ut idemmet mihi refert , reſtitutus eſt : ſuperſtite dein ad plures hebdomadas catarrhalis copioſiſſimæ amurcæ expectoratione , fortaſſe ab eodemmet argento fugaci utiliter promota : quod feliciter a recidivæ metu magis idipſum tutatur .

Admirandam curationem feliciter jam pridem executam nobis refert amicus egregius , & Profeſſor practicus Andreas Bertoni , in Baptiſta Poletti ex Gavardo , Villæ novæ commorante , pleni habitus , pulmonario , orthopnoico , quaſi morituro , cui , poſt quatuor ſanguinis extractiones , primo morbi limine celebratas , exhibitus fuit Mercurius diaphoreticus Thompſon , ad auctam quantitatem ſemidrachmæ per plures vices , tanto cum levamine , ut , poſt pluriniorum excretam vermium quantitatem , a periculoſo ipſum ſtatu redemptum , illius regionis populus exclamans , gratularetur.

Doctiſſimus Julius Cicognini in Epiſtola Pontiſvici , recens data, ita ſcribit: *Et ſane , ſi ratio conſulatur , promtum ,eſt credere Mercurium ſalivatorium ſingulare remedium fore pleuritidum lymphaticarum , in quibus , ſi vena incidatur , ſanguis glutinoſus cortice tenaci apparet . & coactus , cujus & color ad album vergit , & motus lentus eſt : Niſi enim mea me fallat opinio , Mercurio ineſſe debes vis tum ſanguinem in vaſibus attenuandi , ſi craſſus eſt , tum ipſum ſeparandi , ſi mucoſus , tum demum ipſi fluorem & motum imprimendi , ſi reſes &c.*

Optimus Practicus Bartholomæus Bondioli in Monteclaro Medicinam faciens , mea nova methodo Baldaſſarum Mor , in via Rhò , peripneumonico , inflammatorio , ſuffocante affectu laborantem , cum febri acutiſſima , ſputis ſanguineis , lateris dolore , delirio, decubitu ſupino , pluribus iteratis unctionibus ex mercurio crudo , & pinguedine porcina , ſcreationibus ubertim fluentibus , recens liberavit. Ita ex ſuis literis 2. Junii 1761.

NOBILI SAPIENTISSIMOQUE VIRO

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

JOANNES BAPTISTA MORANDINUS

ET legere Diſſertationem tuam de Pectoris Merborum curationibus tractantem , & eaſdem audacter ſuſcipere unum idemque fuit. Ecquis enim eſt , aut aderit in ſempiternum , qui Roncallo auſpice , duce , non pugnet , non vincat, morboſque non ſuperet ? Si te amant Supremi Europæ Monarchæ , ſi res tuas probat Auguſtiſſimus Venetus Senatus , ſi Regii primarii Cœtus te in dies certatim cooptant , ſi denique univerſa Medica Gens Scripta tua veneranter plurimi facit , cur ego non ero ſimillimus omnibus , cur documenta tua fortiſſimis rationum momentis innixa , in ſanguinem uſque meum non convertam, non venerabor? Habe igitur hic adnexam relationem duorum Ægrotantium , quos tu utiliſſima propoſita Methodo , me executore , in ſalutem, vitamque revocaſti .

Primus eſt Revdm̃us Antonius Capelazi in vico Bertii, menſe Majo hujus anni decumbens, cum dolore pectoris gravativo , tuſſi , difficili reſpiratione , febri acuta, pulſu duro , dolore capitis , genarum rubore , ſputiſque cruentis ; qui extracto gelatinoſo , & obſcuro ſanguine, orthopnoicus ,mortique proximus videbatur . Aptatis ideo, ſecundum documenta tua , Mercurialibus unctionibus , a pedum extremitate ad pectus uſque , iiſdemque pluries iteratis , apparuit ptyſma , & fuſe expectoravit per os materias atro-ſanguineas ,catarrhales , fuliginoſas , fœtentes ; iiſdemque per vomitum , & imas partes : quibus ſaburris feliciter ab argento fugaci commotis , & exeuntibus , Æger ſaluti reſtitutus eſt. Adſtantes miraculum canebant , & prædicant adhuc .

Secundam curationem habui felicem in Illuſtrm̃o Joanne Antonio Piſani Legum Doctore , Malegni degente , qui eodem morbo circiter laborans, bis prius extracto ſanguine , pluries adhibito Mercurio, ſcilicet Calomelanos Riverii ,quia ab inunctione abhorrebat ,pluribus per emiſſaria in univerſum exeuntibus morboſis ichoribus , per ſudorem etiam, quia remedium bezoarticis junctum erat , feliciſſime convaluit: licet plurima adeſſent mortis indicia .

En candide relata , quæ ipſe obſervaverim , feliciſſimis hiſce experimentis animatus, & quaſi nunc de curationibus tutus , quoties occaſio feret ,a præceptis tuis ne latum quidem unguem diſcedam . Tibi interim Superi longam dent vitam, ut Artis noſtræ decori , & Ægrotantium bono vigilare ſemper magis poſſis. Vale .

Bienni 1. *Auguſti* 1761.

Decem pulmonarios graviter decumbentes , ſingulos ſuis nominibus , temporibus , ætatibus , circumſtantiis omnibus diſtinctos , indicat Vir amicus , & doctus Practicus Angelus Rinaldini, Mercurii ,ſecundum Maccoppeana documenta preparati , ope, portentoſe feliciſſime curatos .

Typis Conzatti . De Epidemia Rheumatica anni 1730. Poſt propoſita multa remedia contra mortiferas peripneu-

Digitized by Google

neumonias, ita ſcribit Vir Famigeratiſſimus Carolus Franciſcus Cogroſſius Profeſſor Patavinus emeritus: *In tanta rerum anguſtia ne abſtinendum quidem ab ipſo Mercurio cum diaphoreticis, & auri foliis rite compoſito; quo ad ſolvendas concretiones nihil habet efficacius Ars Medica.*

Oretenus mihi elapſo menſe Vir optime notus, & clarus Joannes Angelus Nicolini confirmavit rem oppido raram, quam a multis aliis jam antea ſuboluerant: Nimirum duobus annis elapſis crudeliſſimam, maligniſſimam pectoris morboſam Epidemiam feliciſſime ab eodem ſuis in extenſis regionibus ſuperatam ſolo Mercurio; præcipue in illis caſibus, ubi conſtabat de vermium exiſtentia, ut ſignanter tetigi in meo Libello, Pag. 15. & ſeq ubi non inunctionem ſolum ſalivatoriam, ſed Mercurium etiam, quod ajunt dulceſactum, propoſui, intuſque ſumptum, qui per ima inteſtina poteſt deſcendere. Dixitque ſincera atteſtatione innumerabiles curatos fuiſſe.

Additam hic Hiſtoriam pleuriticæ affectionis nudius tertius mihi porrigebat Juvenis Egregius Auguſtinus Borghetti, optimi Patris ſui veſtigia in Medicina facienda ſecutus:

Maria Parmegiana annorum quinquaginta, temperamenti ſanguineo bilioſi, ſtrictioris habitus, menſe Martii 1761. *correpta eſt febri valida, qua cum frigore incipiens, cum magno poſtea æſtu proſecuta eſt. Mox accedente dolore ad ſcapulam in dextero thoracis latere, cum inani tuſſi, difficili reſpiratione, lingua ſicca, ſiticuloſa, pulſu inordinato, crebro, urinaque intenſe rubra. Sanguis extractus cruſta alba obductus apparuit; die tertia cæpit excreare ſputum ſtriis ſanguineis interſtinctum, ſed tenaciſſimum. Per intervalla tali dyſpnæa corripiebatur, ut pene ſuffocaretur, reſtitante adeo exili pulſu, ut animam agere dixiſſes. Quique cedente inſultu illico reſurgebat. Invaleſcente etiam de vermibus dubio, Mercurius crudus exhibitus ad pondus unius drachmæ, cum conſerva roſarum. Excretis vermibus, melius ſe habuit, ſed anxietas denuo invaſit, cum pulſu celerrimo, & parvo: ſtatimque repetita doſis Mercurii, ex quo imminuta ſymptomata: conſtantique repetito uſu Mercurii, nunc crudi, nunc dulcis; feliciter convaluit.*

Famigeratiſſimus Hieronymus Treviſani Protomedicus Patavinus poſtridie idibus Julii 1761. accepto Libello ita reſpondet: *Ad Methodum quod attinet curandi Morbos pectoris Mercurii ope, tuis rationum momentis confirmata, atque illuſtrata res eſt, ut nihil amplius, niſi ab omnis ferme Medicinæ ignaro deſiderari queat:*

Denique jam tandem ſi Rotarius *L' aſma, ſcheranzia, toſſe epidemica, ed infiammazione di polmone* Mercurio ſanabat; ſi Joannes Baptiſta Moreali in funeſtiſſimæ epidemicæ conſtitutionis curſu Mercurio ſolo innumerabiles Ægrotos febribus malignis, peſtilentialibus, contagioſis laborantes ſaluti feliciter reſtituit: ſtatuendum certe eſt, & Mercurium adhiberi poſſe, & eſſe illud ens ſpecificum juvans quam maxime in partium inflammationibus, in ſanguinis corruptelis, veriſſimis etiam pulmonariæ labis characteribus.

Reſipiſcant ideo fœminea, & trepidantia Medicorum quorundam, Methodo adverſantium, corcula: potiuſque cogitent, num Calomelanos Riverii eſſet adhibendus, utpote ſulphure actuatus, pectorique magis proficuus: crudus vero dejectorius, ubi vermium ſaburra, & pleuritides deſcendentes, ut ajebat Baglivus. Quod ſummopere probandum.

Utinam quod fecerunt ſuprarelati Sapientiſſimi Viri, honeſtate, candore eximii, Proximumque juvandi deſiderio perciti, ita egiſſent tot alii, qui non ſolum noſtra æquo animo ferre noluerunt, ſed neque inſtituere Experimenta Medica, Chirurgica, Anatomica; a quibus poſtremis, ſi bene rem aſſequor, totum pendet rerum propoſitarum momentum, adeo ut ſentiam (alii quid velint, non moror) a ſectis Pleuriticorum, poſt fatum, ſpiritalibus extis, nitido tandem in ſpeculo cognoſcenda eſſe perdifficilis morbi rudimenta, & ſemina. Quod itaque olim amicis Medicis occinebam, deinde ſupplex, ac venerabundus Supremo Veneto Salutis Magiſtratui humillime præſentabam, nunc iterum confirmo: videlicet per ſedula, diligentiſſima (eaque, non tepide, ut hactenus factum, ſed viriliter, Medicis Sapientiſſimis Practicis præſidibus, atque imminentibus, qui ultimæ ægritudini adſtarunt) repetita Anatomicorum experimenta enitendum eſſe, ut introſpiciantur morbidus ſolidorum pulmonarium ſtatus, abſceſſus, vomicæ, tubercula, uno verbo ſtagnantium amurcarum, congelati ſanguinis ſeborum indoles, nidificationes, latibula, violentiæ, corruptelæ, ut hinc magis conſtet, num antiqua, num nova noſtra Methodo utendum ſit, ad optatum efficiendum Venetarum Gentium bonum: ad quod ſi ſtudia omnia noſtra non collimant, oh nos miſeros, atque ingratos!

Digitized by Google